

et de plano considerentur, et secundum allegata et probata Judicentur. Finaliter autem decisiones et sententiae in casibus, qui in istis statutis specificati non sunt, secundum Regni Jura finiantur.

### Articulus Septimus.

In testimoniis deponendis, non more Slavonico in alterius animam Jurabitur, sed quilibet seorsim de visu et scitu examinatus Juramento testabitur; quis autem melius probavit, Judicis et Assessorum erit determinare.

### Articulus Octavus.

Nullus ad Juramentum praestandum nisi Jejunus admittatur.

### Articulus Nonus.

A sententia Judicis intra decendium sic ad generalem Appellare fas esto, quod si non fiat, elapsis fatalibus sententia transeat in rem Judicatam, appellans autem appellationem suam intra unum introducere, ac intra duos alios menses prosequi obligatus sit, alterutro enim non ita observato, Appellatio pro deserto habeatur, et Sententia Executionem sorciatur, et qui male appellaverit in Expensis damnabitur.

### Articulus Decimus.

Sententiae, ubi nullae Appellationes interpositae fuerint, elapso decimo die per Knesios vel unum ex Assessoribus Executioni demandentur. Qui autem parere recusaverint, secundum qualitatem delicti puniantur, vel etiam si enormitas resistentiae id ita meruerit, ad Regimen bellicum remittantur, procedente nihilominus executione.

### De Rerum Dominio.

#### Articulus Primus.

Cuilibet Pago vel oppido sui certi limites determinentur.

#### Articulus Secundus.

Si qui de frumento adhuc in Agris existente, vel de aliis rebus mobilibus cum aliis conveniret, Emptorque hoc duobus vel tribus Testibus probare poterit, contractus validus esto.